



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Compendivm Summæ Card. Toleti**

**Minucius, Genesisius**

**Sammieli, 1613**

Dubia quatuor circa Eleemosynæ largitionem c. 37. & 38.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41701**

**I**N extrema necessitate quilibet ab alio accipere potest, quæ sibi sunt necessaria. Quando autem peruenerit ad pinguiorē fortunam, Scot. & Sor. docent non teneri ad restitutionem: Adrianus verò & Nauar. docent quod sic. Prima opinio probabilis. Sed adhuc probabilius est quod si ille ex superfluo non acceperit, teneatur restituere, vti & Medina per plures. Quinimo si ex superfluo accepit, adhuc tenebitur restituere, quia ex hypothesi poterat illi alius ipsi succurrere tantum mutuo. Quæ omnia adhuc veriora sunt quando qui necessitatem patitur in vno loco, vel ratione alicuius rei, habebat in alio loco, vel in alia re venderetur, vnde illi subueniret.

*Dubia quatuor circa Eleemosynarum largitionem. Cap. 37. & 38.*



**N**emo per se loquendo in extrema necessitate constitutus tenetur propria donare, si potest mutuando, vel ad tempus commodando inopia istorum subuenire; vt Iosephus in Aegypto, Gen. 47. Consilium tamen optimum est donare. Qui vero pecuniam creditorum dat in extrema necessitate posito, creditoribus deinde restituere tenetur, quia creditorum erant, & illius erat Eleemosynam facere, non creditorum, si tamen aliquis pecuniã ab alio petat vt subueniat extreme indigenti ad nihil tenetur, quia nomine indigentis accepit, qui restituere tenetur si ad pinguiorẽ fortunam redeat, ad quod tamen nõ tenetur laborare, Eleemosynã autẽ preceptũ obligat non solũ fideles sed etiam infideles, quia est præceptum diuinum, & naturale, si



cut præceptum honorandi parentes: quare mortaliter peccat paganus, & infidelis, qui in extrema necessitate & graui non præbet indigenti subsidium, quicumque ille sit. Ecclesiastici tamen præ careris ad hoc tenentur: non alio tamen modo peccant quam reliqui si secus faciant, quidquid dicat Caietanus, nempe quia dominium habent redditum suorum beneficiorum. Ex quo fundamento etiam colligi potest Episcopos, Cardinales, & Papam ipsum, posse de iisdem bonis donare suis consanguineis non tantum indigentibus, & habita ratione status illorum, sed etiam sui ipsorum, in quo tamen debent diligenter vitari superfluitates, & in illud imprimis incumbere debent, vt prius subueniant necessitatibus grauioribus aliorum.